

Disputatio medica de fistulis ... / [Johann Martin Scultetus].

Contributors

Scultetus, Johann Martin, active 1682.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Stanno Reisiano, 1682.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wgq62szh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Juvante Jehová!

DISPUTATIO MEDICA

De

FISTULIS,

Permissu & Autoritate

Amplissimæ Facultatis Medicæ,

In

Illustri Athenæo Tubingensi,

P R Æ S I D E

V I R O

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo,

Dn. GEORG-BALTHASARE

METZGERO, Med. Doct. Pract. Anat.

Chirurg. & Botan. P. P. celebratissimo,

Domino Præceptore & Patrono suo devotis-
simo reverentiæ cultu perpetim de venerando,

publico Philiatorum disquisitioni proposita,

à

JOHANNÉ MARTINO SCULTETO,
Ulmano.


Ad Diem 11. Martij,

IN AUDITORIO MEDICO

Horis antemerid.

T U B I N G Æ,

STANNO REISIANO, ANNO M DC LXXXII.



I.

*Clarissimo Dn. Respondenti, Cognato
suo Charissimo.*

Silicet hæc hominis hominem servasse voluptas,
Qua melior nulla quæritur Arte favor.
Servatis te palma manet de Civibus ampla
Teque immortalem mors superata facit.
Æternum Alcidi nomen fera monstra dedere;
Materies famæ sed tibi morbus erit.

Applaudit

GEORG-CONRADUS BARDILI,
Med. D.

II.

Ben Sira in sententiis:

אוקיר לאינא עד דלא תצטריך ליה:

EVOLUTIO.

Quem DEUS & Princeps Medice Charitinius artis
Affixit studio, gratia rara manet.
Quem Virtus METZGERIA, quem SCULTETIA Virtus
Vel peperit Medicum, vel genuit sobolem,
Passibus ut gradiare bonis, felicibus ausis,
Multa salus firmat, gloria docta manet.

Clarissimi Dn. Sculteti,

deb. honor. Img. srib.

M. Ferdinand-Wolfgangus Harpprecht,
Ducalis Stipendii Repetens.

III.

Hoc pietas, hoc fata probant; sic arte Machaon
Te decorat doctum: te jubet esse DEUS

ut videre est, apud *Guern. Rolfinccium m. m. spec. comment. l. 14. §. 3. c. 19.* nec cum *Æoliis* arteriæ asperæ bronchiis, quæ *σφρηγγων*, sive fistularum nomine *Cous* explicat, de *int. affect.* de quibus *Anatomicorum* libri hinc inde consuli possunt: multò minùs cum exteriori cassiæ fistularis cortice, qui nomen hoc inter *Pharmacopœos* obtinuisse scribitur apud *Johann. Gorraeum. defin. medic. ad vocem σφρηγξ*, aut clysteris eâ parte, quæ intestino immittitur, cùm infundenda in hoc decoctio liquoris est, quam authore *Antonie van der Linden* / Latini Medici fistulam vocant, *select. medic. exerc. 4. §. 101.* aliisque pluribus, quæ *Scapula* in *Lexico Græco-Latino* recenset: Sed ulcus quoddam Chirurgorum hîc volo, arundinis instar fistulosæ, membrum, quod occupat, penetrans, & secundùm *Avicennam* fistulas cujuscunque generis & materiæ cavitate suâ imitans, præsertim *Muscorum*, quæ ut in superiore parte foramen angustum habent, ab inferiori latius, ita hæ ut plurimum os strictum formant, in profunditate in latum extenduntur, ex *Arnoldo de vill. nov.* Ulcera inde fistulosa *Felici Plateo* dicuntur; *Spagiricis* ulcera salis petræ, apud *Petr. Johann. Fabrum Chirurg. Spagir. c. 16.* Idiotis Divi *Quirini* foramina audiunt, ob causam ex *Foresto* jam citatam. Græci *σφρηγγας* eodem cum Latinis jure, item *πλώσις* à callo appellant. Populari linguâ nostrâ, *Hohl Geschwür / Rohr Löcher / schwöllige Rohr Bunden / Sisteln / oder Geifeln* secundum *Hafenrefferum nostrum* in *nosodoch. l. 2. c. 5.* efferuntur. Arabes *Zuchemen* intulunt, ex *Johann. Andr. à cruce, chir. univ. l. 8. tr. 4. c. 1.*

I I.

Describo: *Ulcera sinuosa, profunda, in orificio ut plurimum stricta, in profunditate latiora, cum duritie callosâ, in parte corporis molli, à materia acri exedente nata.*

Ulcera cum *Galeno de tumor. p. n. c. 5. Cornelio Celso, l. 5. c. 28. §. 12.* & compluribus, hîcque ipsò continui solutionem dico, in qua ulcerum in universum natura consistit; sed non simplicem, ut à vulneribus separentur, sed cum deperditione substantiæ, ubi *Galenum* iterum *ὁμόψηφον* habeo 3. *m. m. 4. & 4. m. m. 1.* esse ulcus, asserentem, affectum cum solutione continui, & quantitate deperditâ, cùm erosio sine particula substantiæ amissa

missa fieri nequeat. Addo, *Sinuosa*, ut à communibus ulceribus cavernis & sinubus carentibus distinguantur; *Profunda*, ne callosa quæcunque plana cum his confundantur; *Cum orificio stricto, profunditate latiori*; absque enim his si essent, & cavernis, ne nominis quidem rationem, quâ de suprâ, tueri possent; *cum duritie callosa*, (ostracosa inde nonnullis nominantur) quâ à reliquis ulceribus sinuosis distinguuntur: imò in calloso corio & fistulari forma *differentiam specificam* pono, quam alii in sanie virulenta quærunt, sed quàm benè, ipsi viderint, cùm nec semper & omnibus fistulis adsit, ut in moribundis præsertim observavit *Aquapendens*, nec his solis; eandem enim cancroso etiam ulcera subinde fundunt: Cætera Subjectum produnt & causam.

III.

Subjectum autem fistulæ cum reliquis ulceribus commune habent, *partes omnes ossibus molliores*, quarum continuum erosionem facile solvi 3. m. m. quâvis à causâ facile exedi potest, ut difficulter iterum coalescat, ex *Lud. Mercato l. 2. de uter. morb. cap. 25.* Caroque ita non modò propriè dicta musculosa, sed & glandulosa, viscerosa, cuius parti propria, membranæ etiam, venæ, arteriæ, nervi subintelliguntur; imò nec ossa ipsa excluduntur juxta *Guid. de Cauliaco l. c. Chalmeteum, enchir. chir. l. 3. c. 13.* quo in sensu *Laur. Jouberti* annotationes in *Guidon. loc. dist.* videantur. Unam tamen harum partium præ alterâ magis dispositam esse, faciliusque in hujus intra se mali generationem consentire illa loca, quò sarcinam natura vitiosam consuetius exonerat, causam promptius & pronius detrudere novit, non inficior, sicque frequentiora ulcera talia in abdomine, inguinibus, ano, utero, scroto, perineo stabulantur, ut hinc inde notata exempla probant, pleniorque post dicenda fidem facient.

IV.

Causam dedi *acrem & exedentem materiam*: cùm enim fistulæ ad ulcera pertineant, horum etiam, præsertim sinuosorum, quæ has præcedunt, causâ opus habent, peiori tamen & efficaciori, quam sinus desiderat, quæ partem influens ulcus non modò sinuosum excavat, sed & exiccando callosam eidem tuniceam induit. Qui acidum c. *Sylvio* urgent, verius acre incusant; nec

enim acida aliò quam acrimoniæ titulò hîc concurrunt, vid. *Georg. Wolfgang. Wedelium de facult. medic. l. 1. s. 2. c. 9.*

V.

Scaturiginem huic præbet *Sanguis* ipse, qui apto conclusus loco & corruptus, sinus primò, post ad ulceris latera adhærescens callosam fistulam format. Fistulam hoc modo lachrymalem ortam describit *Roderic. à Fonseca t. 2. cons. med. 6. & 7.* nec non ani *ibid. obs. 13.* *Bilem* etiam suam operam conferre nemo inficiabitur, qui humoris hujus naturam probè cognitam habet. Hanc in culpam trahit Patruus meus magnus *Sculletus*, fistulæ thoracis cum erosionem claviculæ, *armam. chir. p. 2. obs. chir. 50.* quam calida & sicca corporis constitutio, febris antecedens acutissima, flavus totius corporis color, ipsaque materia flava per fistulæ quasi orificium transudans prodebant. Ejusdem *Lazarus Riverius* causæ meminit, *obs. comm. à Johanne Marsino 6.* *Melancholiam*, ut vocant, ob acre reconditum serum, exedere subiectas carnes, & callos de facili relinquere, *Johann. Gorreus l. d. ad stipulatur*, eandemq; approbat *Zac. Lusitanus l. 3. pr. adm. obs. 36.* Nec *Pituitosus* humor vires suas intentatas relinquit, dum quæ dulcis est per participationem sanguinei ichoris, ex *Gal. 2. de facult. nat.* caliditas resolvit ejus humidum, dulce, pingue, aëreum, & adurit terreum, orta non solum ex putredine, bile adustâ, mixtâ, secundum *Avicennam*, sed &, ut placuit *Galeno de caus. morb. 2.* à stipatione, alimento, calidorum corporum adhæsu & motu, sicque sal gignit: Quo sensu ex phlegmate corrupto & putrefacto fistulas generari *Guid. de Cauliaco l. c. tr. 2. doctr. 1. cap. 4.* scribit, ita ulcera in pulmonibus, aspera arteria, faucibus excitari *Rodericus à Castro l. 4. c. 5. de meteor. microcosm.* existimat; hinc *Gregor. Horstius* in pituitosis circa regionem vesicæ. *l. 4. p. 2. obs. 30.* ad oculorum angulos ortas fistulas notavit. *Malignos & venenatos* in corpore humores idem patrare *Zacut. Lusitanus* expertus est in militè gonorrhœâ virulentâ, cum puris ejusdem notæ excretionem, laborante, qui hac imprudenter ob tædium suppressâ, in dolosum ulcus sub umbilico incidit, *pr. adm. l. 2. obs. 127.* nec raræ hac ex causâ oriundæ fistulæ aliis sunt, præsertim in ano & extremo ve-

sicæ

siccæ collo, è luce venereâ exulceratis, ut secundùm *Petrum de Marchettis*, pleræque inter Italos originem suam ducant, de fist. ani, nec non ulcer. & fistul. urethr.

V I.

A dictis non abeunt nec aliud docent, utut vel maximè putent, *Spagirici*, vel ad nomina humorum nauseantes, qui in salibus ulcerum omnium scaturiginem quærunt, ut hîc in specie sal petræ, p. n. balsami nostri naturalis cum *Paracels. l. 3. Chir. m. de fist. p. 1. Petr. Joannes Faber* inculcat; *Sebastianus Würdingius* aciditatem, sive, ut ipse se & benè, secundum superiora, explicat, acorem & spiritum quendam p. n. salinum, acidum, pungentem, rodentem, ut omnium morborum, ita & ulcerum horum causam nominat, l. 2. med. spirit. c. 1. salinam laticis qualitatem, *Friederic. Rubert. Sultzbergerus* arguit, de rer. microcosm p. 2. §. 3. cui junge *Helmontium*, de latic. §. 33. item de scabie & ulcerib. scholar. *Casparus Henricus Schrey* cruditatem ventriculi acidam, cum caustico quodam alcali mixtam, & ad exteriora delatam, tam cancrofa quàm fistulosa ulcera cudere credit, de ort. morb. è ferment. ventric. §. 44. Fixum destructivum fistulæ causam appellat *Conrad. Joringius* de volat. & fixo. cap. 3. §. 12. Quod enim Humoristæ, ut contemtum audiunt, per humores explicant, id hi per salia in humoribus contenta fieri contendunt, nec illis invitis, qui humores suos non simplicem liquorem, puram putam aqueam substantiam, primis solùm qualitatibus definitam, omni præterea facultate destitutam volunt, ut malè hanc ipsis mentem *Josephus Quercetanus* in consil. de arthrit. & calcul. affingit, sed corpus mixtum sui generis, quod, ut magis, quàm aqua, compositum est, ita longè plures & præstantiores vires possidet, carnem urit, liquat, corrumpit, ex 2. de fac. nat. aceto acerrimo, vini fæcibus, oleique amaræ simile, partes, quibus purum & impermixtum adhæret, prorsus exedit, exulcerat, l. de atr. bil. & 14. m. m. 9. Idemque jam olim *Hippocrates* professus fuit, non calidum, inquiens, non frigidum, non consequenter siccum aut humidum est, quod magnam vim habet, sed acerbum, sed acidum, amarum, falsum, dulce & hujus generis alia, de prisce. medic. parumque perspicacem esse oportet, qui salia corrosiva & alia, in-

cancro, scabie, catarrhis, ulceribus aliis non agnoscit, ex *Sennerto de con- & dissens. Chymicor. c. Galenic. & Aristotelicis, cap. 6. instit. l. 2. p. 2. c. 8.* quæ suis se indiciis non raro foricis instar produnt, & immisos Chirurgorum stylos acidi corrosivi in morem modumque inficiunt & arrodunt. Non tamen necesse est humores tales acredinem suam aliasque vires ubique & manifestè semper prodere, sed occultò subinde sale, ut *Helmontius* loquitur, gaudent, quod sub sanguinis tegunt involucro, nec, nisi cum secreti fuerint, & per se extiterint seorsim, conspicui fiunt, hominem molestia afficiunt, & cujus genii aut generis sint, manifestant ex *Hippocr. l. c.* Nec novi quid fixum destructivum infert præter viscidum, p. n. crassum humorem Galenicis ubiq; decantatum, ipsò *Autore* consentiente *l. c. c. 1. §. 5. c. 3. §. 11.* Stillat hæc materia in carnosas partes ex glandulis, ceu naturæ cribris, secundum *Nicolaum Stenonem de glandulis*, ex sanguivehis fistulis, quas inter cum sanguine extra glandularum commercia circulator, ex ipsis etiam lymphæ ductibus, quorum rami in carnosas & membranosas partes immediatè inferuntur. Vid. *Olaus Rudbeccius de ductib. hepatic. aquosis, & vas. glandul. seros. c. 9. Isbrandus Dierbræccius Anatom. l. 1. c. 4.*

VII.

Juvant hujus in corpore generationem, collectionem in partibus promovent, ex *naturalibus* præprimis *Temperamentum frigidum & humidum*, quo nomine *sequior sexus*, pronus magis in hoc malum videtur, sub lunari præsertim tributo non debite soluto: *Ætas puerilis* ex *3. aph. 23.* ob partium mollitiem materiæ influxui non satis resistens, erosioni quàm facillimè exposita: *Vitæ genus*, pravi rerum non-naturalium usûs amans, unde in lachrymalem fistulam adolescentem 25 annorum incidisse *Rod. à Fonseca t. 2. consult. medic. 13.* testatur: *Laxa partium & ad recipiendum prona dispositio*, quâ occasione externas præ internis partibus magis proclives habentur. Fortè *Jus* etiam *hereditarium* suum huc confert symbolum: quod si enim in aliis hoc ulceribus valet, quod *Daniel Sennertus l. 5. prax. p. 2. cap. 17.* concedit, geminòque roborat exemplò *Philipp. Salmuth c. 2. obs. medic. 80. & 81.* si cancrosa ulcera cum lacte materno in sobolem ire pos-

possunt, ut ex casu *Zac. Lusitani. l. 1. pr. adm. obs. 24. Nicolaus Finckius dissert. de cancro* opinatur, non minus etiam à fistulosis traduci cum spermate cacochymico dispositionem posse crediderim. Calculum suum *M. Aurelius Severinus* addit, de abscess. recond. nat. tom. 2. abscess. per congest. c. 5. fistulamque in ano jure hæreditariò contractam *Roder. à Fonseca* refert t. 2. consult. med. 67.

VIII.

Ex Nonnaturalibus aër, quò ad ulcera in universum nulla frequentior via est, teste *Hippocrate*, multum valet, calidus & humidus putredinis author, frigidus & humidus serosæ cacochymix promus condus: *Tempus* vernum, 3. aphor. 20. autumnale, 3. aph. 22. æstas sicca & aquilonia, autumnus pluviosus & australis, ex comment. *J. Heurnii* ad 3. aphor. 13. Angli Virgineam navigantes cachectici facti sunt; lidem nostrâ memoriâ per tot maria vecti, occupatâ Insulâ Jamaicâ, gravibus tentati malis, febribus, ulceribus fuere, quorum tam ferina indoles, ut neque proventus vermium in eis præcaveri potuerit ex *Guerner. Rolfinccii* c. 1. 14. s. 2. cap. 14. Maligna aëris constitutio ulcerum ferax est, ex *Jordano de pest. phænomen. c. 10.* Nec omni vacare culpâ Contagium dixerim, in aliis subinde ulceribus non inefficax; Sunt, qui astris etiam eorumque, influentiis aliquam causæ partem tribuunt, quæ virtute suâ salia in corpore ad calcinationem, seu desiccationem disponere, humoribusque acres, corrosivas & ulcerosas qualitates induere norint, ut experiri est in carbunculis, bubonibus, dysenteriis, certò anni tempore, in certâ regione, particularibus subjectis non rarò visis. Succedunt alimenta & potulenta, succo saleque mordaci exedente abundantia, & in fermentationem & corruptionem facilia, horæos fructus, olera sylvestria *Galenus* de bon. & mal. succ. inculsat, eidem in calidioribus vinum generosum, *Pecqueto* aromata suspecta sunt, quod sanguinis inde effervescentiæ facilis fomes suggeratur. Ex lacte vitiosi succi infans cum nutrice suâ totum corpus multis refertum ulceribus circumtulit ex *Galeno* 3. de aliment. facult. 15. A motu nimio calida corpora & impurgata quiescere *Hippocrates* jubet; ne ulcera contrahant in epidem. sub nimia enim sanguinis incalescentia acredo & mor-

mordacitas salina in partem pronam de facili expellitur, quam desiccatione introducta corrodit ex *comment. f. 3. aphor. 20.* ita præcedente sanguinis mictu ab exercitio vehementiore ulcus fistulosum in lumbis circa renem finistrum Patritius Augustanus contraxit apud *Welschium cons. medic. c. 2. obs. 28.* In specie equitatio multa ani fistulam apud *Julium Cæsarem Claudinum medic. observ. 62. & 68.* saltus apud *Platerum l. 2. obs. in superf. corp. dol.* aliam reliquit. *Vigiliae*, *cacochymia* non difficiles causæ operosæ quoque hic sunt; naturaliter *excernenda*, si p. n. retineantur, v. gr. in viris hæmorrhoides suppressæ fistulosa circa anum ulcera dederunt apud *Hildanum cent. 2. obs. 75.* idem ob menstrua in foeminis stagnantia collum cervicis planè cancrum & exulceratum offendit, *cent. c. obs. 63.* Mulier lochiali fluxu non satis purgata post partum, copiosissimis crurum ulceribus laboravit apud *Guarinonium*: Promoveat malum hoc *Animi Pathemata* imprimis mœror, scorbuticorum ulceribus fovendis aptissimus, ex *Eugaleno de scorb. symptomatibus.*

I X.

Restant res p. n. hasque inter *Plethora* & *Cacochymia* potissimum morborum causæ tantum non quotidianæ. Inflammationem oculi fistulæ lachrymalis scaturiginem nominat *Rodericus à Fonseca t. 2. consult. medic. 13.* difficilis partus, dilaceratis circa uterum perinæo & vesicæ collo, ansam præbuit *ibid. 41. consult. 77.* frequentissimè accidit, vulnera in ulcera, abscessus, & fistulas degenerare, malè præsertim curata apud *Gregorium Horstium l. 40. p. 2. obs. 30.* Defluxio ad dentes diuturna apud *Hildanum cent. 3. obs. 35.* tumor ex contusione in collo infra laryngem apud *Petrum de Marchettis. obs. 37.* fistulas generant: excoriatio intestini recti ex biliosa materia, acri, virulentâ, in lue venereâ & paulatim exedente, item gonorrhœa apud eundem *de Marchettis* virulenta, occasionem mali dederunt: Cariem ossium sæpe remotissimam inaccessam, qualem vidit à cervice incipientem, juxta spinæ longitudinem ad coxam usque descendentem, ibique se aperientem *Platerus t. 2. prax. de superfic. corpor. dolor.*, propè anum factam, origine à lumbis, thoracis vertebis, imò

imò à scapulis ipsis defluente, post pleuroperipneumoniam sub
mamma dextra exortam *Theophilus Bonettus anatom. pract. l. 4.*
f. 4. obs. 9. refert, à sterni vulnere ad usque capsulam & totam
ferè cordis substantiam c. fibris exesam *de Marchettis* depre-
hendit *l. c. obs. 47.* sæpiùs subsequitur. Post variolas & morbil-
los malè expulsos *Marcus Aurelius Severinus l. c. c. 5.* notavit:
post fracturas ossium *Christoph. Wirsung. l. 1. chir. c. 2.* pedis in
specie *Job. Agricola l. d. de antimon. p. 52.* ab ictu *P. Borellus*
cent. 1. obs. 83. à peste idem *l. c.* ex malâ dentis molaris extra-
ctione *Hildanus c. 3. obs. 32.* malum hoc animadverterunt pro-
gnatum.

X.

Et ita quidem fistulæ sunt, sub aliâ tamen atque aliâ diffe-
rentia: *Ratione formæ*, aliæ rectæ, flexuosæ aliæ, aliæ unius, aliæ
multiplicis sinûs, aliæ breves, altiùs aliæ penetrantes, vivæ, quam
liu pravæ qualitatis saniem sudant, vel mortuæ, ubi perfecta illa
& pura effluit, ex *Arnold. de villanova parabol. medic. c. 4. aph.*
p. 10. *Ratione Subjecti*, quædam nobiles partes, quædam
ignobiles occupant, nonnullæ intra musculos desinunt, aliæ ad
articulos, ossa ipsa, excurrunt, non rarò etiam ad interiora pertina-
gunt, suumque inde nomen à loco mutuuntur, carnosæ, nervosæ,
venosæ, ossuosæ, quasi variæ species, ut videre est apud *Johann.*
de Vig. p. 1. l. 4. chirurg. c. 8. *Causæ respectu diversitatem etiam*
inter se alunt, ut causæ ipse diversæ sunt, internæ, externæ, be-
nignæ, malignæ, virulentæ; *Symptomatum intuitu* vel cum do-
lore aliisque symptomatibus stipatæ incedunt, vel sine his: de-
niq; curatu vel faciles vel difficiles, vel omninò impossibiles sunt.

XI.

Sequuntur *Signa diagnostica*, quæ sumuntur 1. ab *essentia-*
liter inherentibus, profundo & p. n. fistuloso foramine, extrinse-
cus angustiori, latiori intrinsecus, undique subinde callosò & durò,
quod dum ignoravit barbitonfor imperitus apud *Petr. de Mar-*
chettis, fistulam pudendi muliebris urinarium meatum crassissi-
mò errore judicavit *Sylog. obs. medico-chirurgic. 60.* Aptæ est
quæcunque materia exedente vi prædita, in disposito loco, moram
p. n. necans, sive sanguis restagnans & corruptus, sive humor

alius aut sanies, à contusione, tumoribus, abscessibus, vulneribus, ulceribus relictæ, ut sinum ad fistulæ formam excavet, tenuibus post & humidis particulis à calore nativo vel extraneo, medicamentis item exiccantibus, resolutis & absumptis, crassioribus verò ad partis parietes agglutinatis & induratis, ut callum inducat, ex *Andr. de cruce chir. l. 3. tr. 4. c. 1.* Sub oblongis cuneis in locos muliebres suppuratos immisis, iter hoc occallesce, & in ulcus callosum abire, *J. Cesar Aurantijs de tumoribus p. n. c. 58.* scribit: Callosas contrà fistulas rarò fieri in intestino recto propter affluentem humiditatem intestini membranas continuè alluentem prædictus *Marchettis de fist. ani & intest. rect. p. m. 168.* & seq. observavit. Salia Chymicorum utramque paginam facere possunt. Secundum *Petrum Johannem Fabrum* fiunt cavernosa ulcera hæc pyramidum & fistularum instar, à sale petræ corporis humani, qui separatur à sale naturalis balsami nostri, & amandatus in partem, ibi coagulatur in canales longos & fistulolosos, qui pededentim corrosione suâ ulcerant cutim & carnes cutis oppositas, secundum formam suam, quam à naturâ obtinent, quæ cum sit fistulosa, fistulosa fiunt ulcera *l. c.* Adde *Paracelsum* hunc in sensum prolixius discurrentem *l. 7. chir. magn. von offenen Schâden.*

XII.

2. *Ab accidentibus & effectibus:* Spumofam, aquosam, saniosam materiam, subindè virulentam, & nonnunquam cum sibilo ad compressionem eructant, id quod ad aluminis *Paracelsus* naturam refert, *p. 2. l. 6. chir. c. 25.* & quidem duodenis ferè singulis horis, ex eodem & *Chalmeteo l. c.* quandoque tamen ferè sicca sunt, vanæque curationis spe Chirurgum ita plerumque lætant, idque secundum diætam & purgationem ex *Guidone de Cauliaco l. d.* Dolor vel nullus, vel exiguus adest, nisi pars maximè sensibilis sublit. *Andreas à cruce* ab humorum hoc privatione fieri putat, *l. c.* *Chalmeteus* dolorem abesse credit, quod pars ferè emortua sit, humorque non naturalis, sed adventitius ex alimento, quod illic corrumpitur. *Petrus Johannes Faber* sal, unde fiunt fistulæ, frigidum manifestè & narcoticum, secundum humiditatem,

tem, quam secum habet innatam & naturalem, credit, cujus ope indolentia ulcera fiant: *Job. Agricola* non dolent, inquit, valdè, quod materiam à causa frigida sumant *comm. d. in Popp. de Saturne. p. 258. Paracelsus* alumen dulce *p. 2. chir. l. 6. c. 5. glaciei. p. 2. l. 8. c. 6. corrosivum sine dolore p. 1. tr. 3. l. 7. nominat. Callus* est (caro continua, albida, humoris, dolorisque expers, ad quam nec vena, nec nervus pertinet ex *Job. Guinthero Andernaco de med. vet. & nov. comm. l. dialog. 8.*) qui dolorem adimit, quem quia linguæ & palato obductum à teneris circumtulit *D. Peuzerus*, calidissima jussula & thermas deglutiit innoxie & sine dolore, apud *Phil. Salmuth. cent. 2. obs. medic. 5.* An simplex, an in plures diducta sinus sit fistula, ex effluentis materiæ majori vel minori copia cum *Cornel. Celso. l. 11. c. 28. §. 12.* colligere est, plura item orificia, vini aut alius liquoris injectione, habitâ effluxûs ratione, explorare facile est; Brevem aut altius penetrantem, ut & flexuosam aut rectam stylus prodit intrusus, qui in flexuosis ex flexuosa magis materia convenit, aut hujus loco candela cerea substituitur; *Galenus*, ut dolorem evitaret, non ferreò, non argenteò stylo, sed suillò pilo s. setâ usus est, *l. de comp. medic. secundum genera c. 9. Hippocrates* allii recenti caule, *Guido* cum sui temporis Chirurgis petroselini aut betæ radice fistulæ altitudinem mensuravit. Vivam pus multum & crudum, mortificatam paucum & coctum ostendit: si in sola carne hæret, quod stylo tangitur, molle est, pus exit album, æquale, copiosum: ad nervum quæ pertingit, in profunditatis exploratione dolorifica est, pus crassum oleo non dissimile expuit, motumque partis, in quam hic inseritur, lædit: Affectis vasis sanguivehis, sanguis cum pure exit, ex venis quidem fœculentior & crassior, ex arteriis pellucidus magis, & ut character hujus est, aliquali cum saltu & titillatione profluit; Ibi ad os pervenit, durum quid & renitens, at æquale stylo occurrit, dolor salvò periosteò non omnis abest, sub carie asperum & inæquale est, eoque magis, quò caries major, pus nigricat, mali odoris, & tenue admodum deprehenditur; An humidior, an ficior sit extractò stylo cognoscere est; num recens aut vetusta, continua aut periodica, tempus & res ipsa loquuntur; an callus in orificio solo hæreat, an interiora etiam durior investiat, distingue-

re Sennertus docet. Ani fistularum & recti intestini specialia signa videantur apud *Petr. de Marchettis de his c. 3.*

XIII.

Quà *Prognostica*, Fistulæ in universum omnes curatu difficiles sunt, plus tamen difficultatis aliæ, aliæ minus habent, imò nonnullæ planè incurabiles censendæ veniunt. Simples, recentes, intra carnem non adeò profundæ, sub cute transversim excurrentes, in corpore juvenili, robusto, cætera sano, labiis quodammodò mollibus & mucosis præditæ faciliorem cæteris curationem spondent; difficiliorem verò minantur inveteratæ, profundæ multum, & rectà ad interiora tendentes, tortuosæ, variis sinubus constantes, sensus planè expertes, luem veneream aut malignam causam aliam redolentes, in cacochymicis, hydropicis, senilibus, emaciatissimis corporibus, pueris & junioribus obviæ; raroque ita exemplò quatuor rectum intestinum perforantes fistulas in infantulo unius mensis perfectè sanavit *Petrus de Marchettis de fistul. ani p. m. 180.* in cacochymicis etiam fistulosa exulceratio curationem admittit, si singularis Medici dexteritas & ægri obedientia accedunt, ex *Gregor. Horstio l. 4. post. p. 2. epist. med. obs. 31.*

XIV.

Nobilibus partibus vicinæ, ad muscutorum capita, vasa, articulos, dorsi vertebrae, ossa alia, ventriumque cavitates extensæ, quæque gravia post se symptomata trahunt, febrim, cachexiam, tabem, virium imbecillitatem, syncopen, imbibitâ à sanguine sub circulo ex parte affecta, nescio, quâ pravâ qualitate, infectionisque ita labe in viscera & totum corpus transfusâ, periculosæ quàm maximè; degenerant non rarò in phagædenica ulcera in intestinis, ex *obs. Petr. de Marchettis*, claudicationem in femore reliquerunt, ex *eodem obs. 56.* Curationis spem decollant internæ omnes, quæ viscera interna, pulmones, ventriculum, intestina, vesicam, uterum perfodiunt, ventriculi tamen fistulam curatam *Ephem. N. C. ann. 9. § 10. obs. 131.* referunt. Quæ in juncturâ manus aut pedis nascuntur, cum nec manum Chirurghi nec medicamenta decenter admittant, curationem superant. Cancrosas ne quidem attingendas esse, ex *6. aphorism. 38.* communiter putant;

Cura.

Curatam tamen talem memorat *Georgius Hieronymus Velschius* *exoticar. curation. obs. 711.*

X V.

Cæterum sunt nonnullæ, quæ si vel maximè possunt, curari tamen non debent, quod emunctoriorum naturæ vices habeant, & fonticulorum artificialium in modum, maximo cum valetudinis commodo vitiosam è corpore sentinam exportent, multis à morbis præmuniant, priorumque remedium præbent, *6. epid. comment. text. 39.* quæ si quâcunque ex causâ, intempestivè occluduntur, vel naturæ sponte post multos etiam menses, coaceruatâ denuò materiâ, recluduntur, vel Medici operâ, hirudine apposita ad cicatricem aut causticò secundum *Roder. à Fonseca t. 2. consult. 67.* aperiendæ iterum, aut aliæ substituendæ sunt; secus ubi fit, anxietas pectoris, respirandi difficultas, ad vomitum propensio nascuntur ex *ephemeridibus natur. curios. ann. 3. obs. 18.* juvenis, ex incuria fistulâ in femore clausâ, cruciatus femoris intolerabiles, nonnisi hac de novo apertâ solutos patiebatur, apud *Paul. Ammann. l. c.* Ex curata fistula, febre acutâ, & post dolore oxæ & natis dextræ *Patritius Venetus* correptus est ferè continuò, apud *Rodericum à Fonseca. l. 2. conf. med. 67. adde Matthiam Tillingium. de recidiv. c. 17.*

X V I.

Curatio vera & perfecta, vel palliativa & imperfecta fit; Hujus meminit *Galenus libro de tumorib. c. 4.* nec eam omninò contemnit *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, chir. l. 3. de ulcerib. cap. 11.* locumque habet, ubi de vera desperamus, in aliquale ægrorum solatium, consistitque, in fistulæ interiori exiccatione, exteriori consolidatione, restitante nihilominus sinu, qui de facili iterum aperitur, novâ materiæ colluvie, sub prævæ diætæ scientia, nec non consuetarum evacuationum intermissione, collectâ; Vera iterum vel miraculosa audit per preces devotas obtenta, cujus *S. Augustinus* mentionem facit *l. 12. de Civit Dei. c. 8.* milisque duodecennis & desperatæ fistulæ curatio, ope & miraculo B. Virginis Mariæ apud Tungros in Hannoniâ facta legitur apud *Walrandum Caout de his miracul. cap. 10.* quibus de judicium aliis relinquo; vel naturalis, quæ quidem Chirurgorum po-

tissimum manu & operâ indigere videtur, ad callosi ulceris abstersionem, sinus incarnationem, & labiorum consolidationem; quod subinde modò etiam successisse in optimâ corporis constitutione *Petrus de Marchettis* expertus fuit *de fist. an. & intest. rect. c. 5.* Ut plurimum tamen ut tuta hæc sit & fida, sine recidivæ metu, majori remediorum apparatu opus est, quem ad tres classes restringo: 1. Ad causarum antecedentium, plethoræ & cacochymix, ablationem; 2. Calli necessariam extirpationem, 3. Ulceris consolidationem.

XVII.

Suggerunt ad scopos hos obtinendos omnes Medicinæ fontes suas scaturigines, Diætericus, Pharmaceuticus, Chirurgicus; *Dieta*, ut in curatione palliativa omne punctum ferre videtur, ex *Galeno de tumorib. cap. 4.* ita vera, accurata, hujus regimine non minus opus habet: exclusio igitur aëre humidò, vespertinò, nocturnò, *Vitus* quâ substantiam, quantitatem, & qualitatem fistularum causis adversetur: *Εὖχρηστος* sed tenuis & parvus, ne cruditatibus ansam præbeat, aut sal petræ augeat, aut multiplicet in corpore, ex *Petro Johanne Fabro*, magis exiccans naturâ aut arte, quàm humidus confert: *Exercitium* corporis bonum est, & primum in præcautione locum habet, ex *Roderic. à Fonsec. t. 2. obs. 67.* nec tamen etiam *quies*, si haberi potest, affectu parti & aliis invidenda. *Somnus* moderatus, nocturnus magis quàm diurnus, probatur; *excretiones* naturales modum observent suum; nec *animi affectus*, cùm totum corpus alterent, limites suos excedant.

XVIII.

Pharmacia manum auxiliatricem alteram porrigit, vitiosos in corpore humores abundantes per regiones & vias varias evacuando, corrigendo, affluxum ad locum affectum impediendo: & primum quidem locum hic habent *alvum dejicientia*, corpusque universum à vitiosa sentina & cacochymia liberantia, moderata tamen, ne impetum & acrimoniam humorum augeant, quorum catalogum ubivis obvium hic libens reticeo. Nonnullis tamen litem movet *Thomas Mermannus*, v. g. aloë in fistulis ani, quod venas de facili referet, sennæ, ob vim deterforiam nimium, mannæ item & cassiæ, quod nimia dulcedine ventriculum & intestina

estina resolvant, nimisque humectent; rhabarbarum contra & mel rosatum solutivum omnibus præfert, l. 3. *consult. med.* 30. Helleborô ulcere carcinote occulto liberatam in Insulâ Coo mulierem vidit *Oribasius*, l. 7. *collect. c.* 27. à cujus tamen usu deterere, quemvis facile potest vis urens seu caustica à *Jobanne Langio*, l. 2. *epist. med.* 20. prolixius explicata; Duro nodus durus quærendus est cuneus: ubi verò mitioribus satisfacere possumus, cur ad fortiora eamus? Chymici ex Antimonio & Mercurio sua purgantia petunt, vid. *Johann. Agricol. comment. in chym. Job. Poppii de Merc. & Saturn.* In specie *Faber* antimonium suum catharticum in *curat. varior. morbor.* 23. nec non pilulas específicas *spagir. chirurg.* l. c. de fistul. descriptas extollit. Laudatur idem syr. aristol. r. quod sanguinem depuret, & à sale acri & mordaci purgando vendicet *myrotech. spagir.* l. 6. c. 11. oleum helleb. scribit idem, qui habent præ manibus, non opus habent heubarb. agar. fenn. & aliis, quæ è longinquis terræ plagis magnò pretiò afferuntur in hominis sanitatem l. d. c. 17. Si à visceribus remota fuerit fistula, Vomitus optimum præsidium, ex *Anrea à Cruce*, *chir.* l. 3. tr. 4. cap. 5. renumque etiam ulceribus menstruum vomitum *Aëtius* ceu maximè proficuum desiderat *terrab.* 3. *sermone* 3. c. 18. in ulceribus aliis malignis *Fridericus Hofmannus* laudat m. m. *Walean.* c. 9. eodemque fine *Galenus* in vulneribus quandoque exercendam purgationem per vomitum præcipit, 4. *method. med.* 6. de modo operandi *Th. Willisius* *pharmac. ration.* §. 2. c. 1. *Fridericus Hofmannus* l. c. videantur.

XIX.

Diaphoretica & Diuretica suam pariter opem spondent exiniam: illa sudoribus & vaporibus morbosam excludendo materiam, unde in specie *Felix Platerus* in ulceribus ex lue venerea, aliisque diuturnis, diaphoretica potissimam curationis partem absolute scribit, diætamque sudoriferam eundem in finem *Johannes Marfinus* apud *Riverium obs. communic.* 4. ordinavit. Hæc cres ichores & serosas superfluitates in continuum ad locum affectum fluxum pronas eliminant, juvantque hoc nomine secundum *Job. Heurnium* potiones vulnerariæ *comm.* 6. *aphor.* 45. ceu diureticæ; sequentem, in suâ quinque supra 40 annos durante pra-

xi, ut egregiæ virtutis probatissimam, commendavit mihi Dn. Volterus, Chirurgus Ducalis exercitatus, Hospes non ita pridem meus & Chiragogus fidelissimus, quam hic apponere libuit. R. H. heder. terr. pyrol. agrim. fl. hyperic. aa. m. j. rad. chin. gentian. aa. ʒj. ireos Florent. aristol. r. a. ʒss. galang. ʒiij. alb. gr. ʒiij. minut. concis. & per. 9. d. vini. lb. iss. macerata destill. dentur m. & v. 3. cochl. Nec infructuosæ hunc in finem acidulæ dicendæ diureticiæ, ex multorum & præcipuè Rolfinccii judicio, qui idem Salivationibus arte excitatis, nec sine ratione, sub luis præsertim veneræ suspitione, multa tribuit contra antiqua ulcera l. 6. m. m. spec. comment. f. 3. c. 1.

XX.

Chirurgia suum etiam symbolum contribuit, *phlebotomiam* imperando in corporibus præcipuè plethoricis, juxta vires & ætatem ægrotantis, habitâ insimul ratione temporis anni, non unâ sed pluribus aliquando vicibus suscipiendam, id quod Hippocrates de ulceribus quoque confirmat: Faber, cæteris consentientibus, singulis mensibus reiterare jubet. Hemorrhoides apertæ non infrugiferæ habendæ; fonticulorum usum ipsa natura proficuum indicat, quibus non rarò spontè ortis, ægri à dolosis ulceribus diuturnis, experientiâ teste, liberi evaserunt, salibus corrosivis hæc viâ exitu monstratò; experimenta vidit Zac. Lusitanus prax. adm. l. 2. obs. 131. l. 3. obs. 136. nec minora Setacea pollicentur, præsertim in fistula lacrymali, fluereque hæc aliquandiu, antequam fistulam extirpemus, Hildanus jubet c. 6. obs. chir. 3. ut & Vesicantia, apud Zac. Lusitanum l. d. Lazarum Riverium, Bened. Sylvaticum in consil. & respons. medic. & complures; Cucurbitulas post aures interdum quoque proficiunt ex Hildano l. d. Sunt, qui in Chirurgiâ transfusoriâ etiam auxilium quærunt, sed leve sine dubio, si non planè nullum, ut sentit Georg. Abraham Merclinus de ort. & occas. sangu. transfus. c. 4. Et hæc Curatio Universalis.

XXI.

Particularis, quæ nunc sequitur, calli remotionem, sinus in carnationem, & divisorum labiorum consolidationem intendit, quæ pluribus itidem topicis perficiuntur, calliq; primò omnium ablationi, quâ sine neutrum reliquorum obtineri potest, meritò

itò studemus. Ad hanc verò (quam mirò solius naturæ cona-
 a & quasi miraculò accidisse aliquando notavit *P. Borellus* c. 4.
obs. 53.) orificiū fistulæ ut plurimum strictioris, ut nonnunquam
 rix aciculam admittat, dilatatio fiat oportet, quam in fistula re-
 enti, nec callo duriore & lapidificato obstante solaque labia ul-
 eris occupante *ex Borello* c. 1. *obs.* 83. & in junioribus, folis
 erè turundis, vel ex lini tela contortā & acuminatā factis vel fru-
 ctulis spongiæ contortæ & valide compressæ immixtis obtinere
 possumus; his enim humiditate imbibitā imprægnatis & intume-
 centibus, sub paucarum spatio horarum pededentim os fistu-
 læ sine dolore extenditur. *Hildanus* causticò ad dilatationem cu-
 m erosit *l. d.* Harum non rarò vices tuentur radices gent. bryon.
 rist. vel medullæ ebul. samb. & similia. Si calli simul emolli-
 tioni & deterfioni consulere satagis, imbui convenientium ad hoc
 medicamentorum viribus, jam debilioribus, jam fortioribus prio-
 ra pro fistulæ cutisque conditione possunt. Duo autem circa tu-
 undarum applicationem monent; 1. ut filo alligentur, ut tutius,
 & altius descenderint, & promptius, si tenacius adhæserit, revo-
 cari possint: Nostrates hoc cavent superiori turundæ parte inci-
 ta & explicatā, 2. ut reductā turundā materia prius effluat, quàm
 altera & nova substituatur; suppressā enim illā sinūs major dilata-
 tio, dolor, inflammatio, metuenda, quæ contigisse vidit *Sculte-
 us armam. chir. p. 2. obs.* 86.

X X I I.

Dilatato ita fistulæ ore sufficienter, calli remotio tentanda in-
 ectis medicamentis debitis, vel solidioribus, ubi unicus tantum
 sinus est, vel liquidis & fluidis, ubi plures & anfractuosi occur-
 runt, *Ibi* convenit sequens: ℞. Ung. Ægypt. ℥ss. aloes hep. ℥ss.
 Merc. dulc. ℥j. coque ad consistentiam pro turundis conficiendis,
 quarum unā vel alterā immixsā, callus omnis de facili abscedit:
 inflari etiam calamo scriptorio aridi possunt pulveres convenien-
 tes: hīc aqua præsens commoda est. ℞. Lign. s. ℥j. Sassafr. rad.
 hin. ana ℥ss. gentian. aristol. r. ireos Florent. ana ℥iij. h. nicot.
 n. i. flor. hyperic. m. β. alum. crud. aloes hep. alb. græc. a. ℥iij.
 q. font. ℥ij. vin. r. ℥j. coqu. ad consumpt. med. part. Colat.
 ℥. ℥ij. succ. cancr. expr. ℥ij. merc. dulc. ℥j. misce pro injectione
 C per

per siphonem. *Philippus Jacobus Sachsus* ceu summum arcanum, practici quondam experientissimi *D. Michaëlis*, succum cancror. vel solum, vel cum pulvere serpentum injectum laudat, propter vim vulnerariam, siccatoriam salinam & balsamicam, *gamarolog. l. 2. c. 7. & 8.* Lixivium alii, aquam hord. cum melle, mulsum, aquam calcis, ung. *Ægypt.* in lixivio dilutū, ol. caryoph. camphor. imittunt. *Job. Agricola in chim. Job. Popp.* quintam essentiam antimonii *tr. de antim.* liquorem flor. sulphur. *tr. de sulphur.* pari jure commendat; *Martinus Rulandus* balsam. sulph. illinit, *c. 1. curat. emp. 92.* quo facto, os nonnulli cera vel bombace claudunt, ne infusum revomatur; Emplastra idem præstant, *R. cer. citr. ℥iij. coloph. ℥℔. sev. ℥j. ax. cap. ℥vj. mastich. thur. myrrh. ana. ℥iij. mum. ℥℔.* imponatur emplastrum quodcunque commune sticticum, de gratia *D E 1, Oppodeld. Saturnin. Gloss. ex Schröder. pharmac. Galenus* emplastrō de spuma argenti multos restituit, *de compos. med. sec. gen. c. 9.* Subindē verō in tortuosis, præsertim ubi hæc & alia penetrare non valent remedia, nec tamen nisi ablatō callō curatio speranda, majus in manuum operatione per ferrum & ignem ex *8. aph. 6. recogn. Vorst.* quàm in medicamentis repositū auxilium est, ut callus extirpetur, ossa corrupta, varii sinus, & removenda alia sub oculos & manus veniant.

X X I I I.

Ferrō igitur & incisione, sine quā *P. de Marchettis* fistulam ani nullam curatam vidit sub 50. annorum praxeos suæ cursu, si fistulæ sinus denudandus venit, totus ductus, modō partis conditio ferat, præeunte & viam quasi monstrante specillo, aut liquore quodam infuso, syringotomo, instrumento hinc inde apud Aucthores obvio & depicto, ab orificio ad extremum usque fundum inciditur. Interdum verō sine specillo prævio, cerā munitum in cuspide scalpellum, ne lædat innocuas in transitu partes, ad fundum fistulæ immittitur, relictōque intra sinum ceræ globulō, dextrā per callosam cutim trajicitur, ut prehendi sinistrā possit, totaque ita caverna unō ictu aperitur: quæ incisio ut omnium citissima & momentanea quasi, ita ferē optima censetur, feliciterque in curatione abscessus in tibia sinuosi, à *Fabr. Hild.* adhibita fuit *c. 4. obs. 48.*

X X I V.

Curatio per filum olim quidem crudum & lineum, nunc sericum

ricum & infectum ab *Hippocr. de fistul.* memorata, & à *C. Celso* plenissimè explicata, l. 7. c. 8. videatur. Tertiam ex filo & syringotomo compositam operationem monstrat *Sculptetus tab. 45. fig. 3. 4. 5. 6. 7.* His autem omnibus irritis per partis conditionem, ultimò ad aquam fortem itur, successu non rarò infelici, quem ipsemet in *Decurione Trautmansdorfiano*, desperatâ partis inferioris fistulâ, post vulnus plumbea tormenti manuarii glande illatum, relicta, laborante observavi, ubi cum ob venæ cavæ & nervi grandioris descendens ramos, sectio tutò institui non posset, aliis etiam medicamentis nequicquam proficientibus, post extractam prius ex inferiori & externa femoris parte glandem, supra dictus *laudatissimus Chirurgus Dn. Völterus* penicillis ex lana arpta extractis & aquâ f. sub connubio merc. v. imbutis brevi & feliciter sinus callosos curavit.

X X V.

Suspectam tamen hanc aquam nec non oleum vitrioli idem addit *Hildanus c. 6. obs. 3.* præserim in lachrymali fistulâ, ob metum excursus in vicinas partes, plusque solidis & crassioribus confidit, metûs hujus expertibus. Locum etiam hic habent aquæ medicamentosæ, sive balnea naturalia, non modo palliativè accurrendo, id quod *J. Jonstonus* credit, *id. pr. med. l. 1. t. 4. l. 1.* sed & sub cura perfecta secundum *Barbette*: ut de aliis nostrabus, nec non peregrinis & minus notis pluribus, taceam, videntur de Bollenfibus *Baubinus l. 3. de his c. 66.* de Ferinis *Walbius*, de Swalbacensibus bullientibus *J. Dan. Horstius*, de Wisadensibus *Phil. Weberus, f. 3. l. 3. c. ult.* de Berstadiensibus, tractatus de his *Gieffæ* olim editus; nec contradicit *Excellentiss. Dn. D. Camerarius, Patronus & Præceptor meus sempiternum religiosè observandus disp. de acid. extern. usu.*

X X V I.

Ulcere aperto, imponuntur specilla albumine ovi imbuta, quæ labia solutæ unitatis distendunt & coitionem impediunt, post calli studendum ablationi est, sive medicamentis sive ferro, sive igne, munitâ in ambitu parte defensivo medicamento. *Fuchs l. c.* etiam manibus detrahare callositatem jubet. Remedia cultatis acrioris & urentis sunt ubivis obvia; Ferro præciditur,

si æger consentit, levi doloris sensu: ex sanguine effluente feliciter peracta operatio judicatur. Novaculâ ita callum à fistula incurabili removit Chirurgus apud *Borellum* c. 4. obs. 53. post mundandum ulcus aquis vulnerariis: decocto apii sec. *Hildanum*, & aliis incarnandum, & ad cicatricem ducendum est. *Borellus*, ubi patiens sectionem admittere noluit, labia fistulæ primò alumine ustò corrofa, post ung. ex alum. ol. nuc. cer. & cineribus sarmentor. confecto curata refert c. 1. obs. 83. idem lavamento ex lixivio sarmentor. & ungu. ex sacch. ol. oliv. argent. viv. vin. ad partes æquales confecto obtentum vidit. c. 2. obs. 67. Solus etiâ succus plantag. & urtic. admotis simul parti affectæ foliis confusis: curam absolvit l. c. Idem sub persicariæ decocto foliisque applicitis, *Excellentissimus Dn. Præses Patronus & Præceptor meus submisso reverentiæ cultu piè devenerandus*, accidisse novit, in desperata fistulâ; folia ulceri ad teporem usque relictâ post in locum cœnosum defossa, sub sui putredine morbum etiam in corpore enecuerunt. Magnetismum hîc agnoscit *Marcus Marci*, qui videatur *phil. vet. restit* p. 2. subs. 6.

X X V I I.

Ignem denique actuali adurit & mortificatur, quo partium universi corporis fistulas, quæ medicamenta omnia etiam caustica eluserant, *M. Aurelius Severinus* domuit *pyrothechn. chir. l. 2. p. 1. c. 86.* cautelâ tamen, ubi ad ignem confugimus, opus est, ne profundior in corpus fistula eat, nec inustio fiat circa venas, arterias, nervosa membrosaque membra, uterum v. gr. viscera, intestina, sed carnosus sit locus inustu tutissimus. Nec sterni fistula inurenda est apud *Marchett.* ob rationes ibi citatas. Factâ inustione, mitigatorio opus est, & quæ crustas inductas resolvunt & dejiçiant, consolidationemque juvant, in vulgus notis.

X X V I I I.

Si ossis caries conjuncta est, corrupti ossis pars abradenda, hocque legitime peracto, caro laudabilis brevi iterum accrescit; imponendi que globuli ex filamentis imbutis ungu. de betonic. aut matrisylv. carneque inductâ cicatrix exiccantibus obducitur. Interdum totum os corruptum novaculâ aut actuali cauterio auferendum, hocque summum præsertim in lachrymali fistulâ remedium creditur, quod nec *Hildanus* ipse rejicit, utut nunquam se hoc usum esse fateatur, solo contentus euphorbio, in sperso vel per se vel melle rosato permixto, quod in squamis & ossis carie auferendis felicissimum semper invenit; hinc mundificato satis ulcere & redu-

ctâ carne pulver. præcipit. balsamum Toletanum filamentis applicuit ut cicatrix plana & pulchrior fiat. Tantum de fistulis.

DE O Trismegisto, sit Laus, Gloria, Honor!